



Tomus XIII  
Miscellanea Philoby.

*[Faint pencil sketch or signature]*

The  
Di  
G  
J  
M  
P  
E  
S  
A  
C  
E  
E





Cum Musices Creatore

DISPUTATIO

# DE MUSICA THEORETICA,

*Quam*

Auctoritate Inclutæ Facultatis Philosophicæ

Lipsiensis

P. P.

M. ELIAS NATHUSIUS,

*RESPONDENTE*

SAMUELE BACHUSIO, CIZENSI

Misnico Philos. &amp; optim. artium

Baccalaureo

*ad diem 21. Augusti.*

Horis locoque consuetis.



LIPSIÆ,

Typis JOHANNIS BAUERI.

ANNO MDC LII.



CUMMORODIO

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.







## CUM BONODEO

### THESIS PRIMA.

**M**usica dicitur ἀπὸ τῆς μουσῆς, inde Latinum  
vocabulum Musa. Ex I. Sunt quidam Barbari,  
qui Musicam (nescio cujus linguæ sit, vocabulum)  
à Moys aqua, & ycos scientiâ deducunt, quando-  
quidem secus fontium decursus seu fluentium un-  
darum margines repertam esse ferunt, quodq; sine humoris bene-  
ficio nullum prorsus harmoniæ delinimentum, affabilitas nulla  
consistat. Unde forsan scomma illud natum: *Cantores amant hu-  
mores.* Verùm ridenda hæc Barbarorum Etymologia est, tum  
quod Moys nunquam significavit aquam, neq; ycos scientiam,  
tum quod ea vocabula ignorent græci: Decepti sunt boni isti ho-  
mines græcæ linguæ ignorantia & præconceptâ falsâ opinione, dū  
sibi imaginati fuerunt, ac si Moyles fuisset Musices ex fluminis Nili  
strepitu inventor. Tantum etiâ abest, Cantores ut pulmonem aquâ  
proluere velint, ut nequidem calceos subeūtem æquo animo ferât.  
Musica ἀπὸ τῆς μουσῆς ortum suum repetit, sive jam vox Musæ Deam  
significet propter parentem Jovem & Matrem Mnemosynen, ut  
Ethnici putaverunt; sive investigationem, idq; vel respectu *Etymo-  
logiæ græcæ*, quâ Plato derivat hanc vocem à μῶσος h. e. inquirere:  
Diodorus Siculus autem à μῦθεω h. e. doceo, eò quod Musæ honesta  
& utilia investigent ac doceant homines: Vel respectu *Etymolo-  
giæ Hebrææ* à Maza invenit: Sive deniq; Musæ dicantur à sororio  
amore & benevolentia mutuâ, quâ semper unâ esse gaudent, quasi ὁ-  
μῶσος, ut Plutarcho visum est. Interim seu Jovis filiæ, seu cu-  
jusdam Lesbiorum regis ancillæ fuerint Musæ, tres aut novem, nos  
ex sacris literis nullum novimus alium sapientiæ datorem, præter  
verum illum & æternum Jehovam, qui dat Spiritum Sanctum in-  
vocantibus se, qui os dat & sapientiam. A 2 Ex I.



Ex 9. 2. Musæ autem vocabulum non Ethnico sensu pro efficiente causa seu Dea sumimus, sed vel *generaliter* pro liberalibus studiis, vel *specialiter* pro cantione, ut in præsentia. Est enim  $\mu\sigma\sigma\iota\kappa\eta$  una ex artibus liberalibus, & bene canendi scientiam proficitur.

#### THESIS SECUNDA.

Et in hoc sensu vox Musica iterum vel abusive sumitur pro humana & cœlesti seu mundana, vel proprie pro artificiali

Ex 9. 1. Sic enim dividunt Musicam in Naturalem & Artificialem. *Naturalis* est ea, quæ harmoniam majoris & minoris mundi hominis sc. numero sese moventis inquirat. Estq; vel *Mundana*, quæ motibus cœlestibus inesse deprehenditur, *ambitus* nempe referens harmonicos & redintegrations, tum *siderum aspectus* trigonicos, tetragonicos & hexagonicos, qui numeris duplaribus, triplaribus, quadruplis, sesquialteris & sesquiterciis devinciuntur: vel *Humana*, quæ secundum Platonem tribus animæ partibus continetur, tres numeros, duplum, sesquialterum & sesquitercium edentibus, scilicet (1.) *Intellectu*, sex alias partes Imaginationem, Memoriam, Cogitationem, Opinionem, Rationem & Scientiam sub se continente: (2.) *Sensu*, qui in hosce quatuor, Visum, Auditum, Olfactum & Tactum, cui & gustus inest, subdividitur: (3.) *Appetitu*, qui tria, Auctum, Fastigium & Decrementum habet.

Ex 9. 2. *Artificialis* est, quæ sonorum aut vocum differentias sensu ac ratione certâ perpendit, eaq; duplici; primò *ratione generica*, ubi Musica sonorum & vocum differentias ad Geometrica principia juxta elevationem & depressionem, aurium judicio & mensurâ examinat, cujusmodi est *Canonica*, in quâ est (1.) *Metrica*, quæ syllabarum quantitates, juncturas & modos ad Geometriæ principia certo pedum numero ac lege, certoq; fine exigit, & in certa carminum genera cogit. (2.) *Rhythmus*, qui vocum longitudines & quantitates, ad arsin & Thesis certis pedibus dinumerat, connexionis libertate relicta in artificis arbitrio: (3.) *Melos*, quod est modulatio, cantionis arsin & Thesis certo tropo modisq; peculiaribus disponens. Deinde *artificialis Musica* vocum ac sonorum differentias & consonantias perpendit *ratione harmonicâ*, de qua impræsentiarum



tiarum agimus.  
nem :

Hujus autem Musices hanc damus definitio-

THESIS TERTIA.

*Musica Theoretica est scientia differentias acutorum & gravium sonorum ratione perpendens.*

Est scientia, quia est habitus demonstrativus, ex necessariis. Demonstrat enim suas affectiones de subiecto per causam.

Ex 9. 1. *Subiectum est sonus numero estimabilis.* Musica enim ex natura rerum sonum, qui est materia omnium intervallorum, modulationis & Harmoniae sibi tractandum sumit, ejusque non tantum partes dinumerat, sed etiam partium illarum analogiam explicat.

Ex 9. 2. Dinumeratio haec perficitur, quando sonus in instrumento aliquo Musico, quod mensuram commodam admittit, producit in actum, & adhibitam proportionum doctrinam in mensuris numeratur & dijudicatur. Nulla enim ars constitui potest, nisi regulis definitis & certis. Certitudo autem absque mensuram in Mathematicis nulla est, & mensura non nisi rei corporeae applicari potest. Eoque necesse est, ut Instrumentum, quo sonus in actum deducitur hac ratione formatum sit, ut mensuram admittere, cum altero conferri, vel suis partibus comparari, & in quasvis proportionem dividi possit. Ejusmodi autem affectiones fere solae chordae admittunt, quae ad corporis, super quod intensae sunt, quantitatem reddunt sonum, ita ut sonus ex chorda emissus istius corporis dimensionem & divisionem sequatur, hoc est, si tale corpus in partibus numeretur, & in proportionem dividatur, tum eadem mensurae & proportionem per Magades suis locis suppositas simul communicatur chordae ad mensuras & proportionem corporis illius impulsae, & ex comparatione totius Chordae, quae dat sonum gravem ad aliquam partem chordae, quae reddit sonum acutum, intelligitur proportio, quae inter sonum istum gravem & acutum invenitur, unde satis apparet, subiectum Musicae esse sonum numero estimabilem.

Ex 9. 3. *Affectio soni est quantitas, cujus ratione soni graves sunt & acuti:* Definitur enim sonus, quod sit qualitas audibilis ex duorum





*Arist. l. 2. corporum præsertim solidorum collisione oriunda.* Quod si  
*de animâ* itaq; sonus est qualitas audibilis corporis quanti motu effecta, o-  
c. 8. mnis autem affectio, ut est quantitas, sequitur conditionem subjecti  
sui, à quo ratione essendi & inexistendi pendet, ita ut quod de sub-  
jecto primariò propriè & per se dicitur, possit etiam id suo modo  
secundariò & per aliud de ejus dici affectione; si (2.) accidens imi-  
tatur conditionem suæ substantiæ, cui inexistit, si (3.) omne corpus  
per se existit quantum, h. e. Magnum s. continuum longitudine,  
latitudine vel crassitudine; Motus autem localis est affectio cor-  
poris naturalis; adeoq; est quantus, h. e. *longus* in tempore, quatenus  
unus succedit alteri; *latus* in spatio occupato; *Crassus* ratione li-  
neæ rectæ perpendicularis à loco inferiore per medium ascendens  
ad superiorem locum, aut contra; Motus autem efficit sonum per  
corpus, quod movetur ad aliud corpus in corpore, scilicet in aere:  
Sonus utiq; effectus motûs & affectio aeris & qualitas, erit etiam  
per sui subjecti quantitatem quantus.

*Ex. 4. Quantitas autem quia est continua & discreta, sanè utroq; modo, quantitas erit affectio soni.* Musica enim scientia Ma-  
thematica quadantenus quidem *Geometria*, primariò tamen *Arith-  
metica* subordinatur, quia soni magnitudo non nudè, sed ut est nu-  
merabilis per divisionem exploratur. Quatenus verò trinam di-  
mensionem, longitudinem, latitudinem & crassitudinem habet, ut  
datum modò fuit, eatenus quantus est, & *Geometriæ* indiget sub-  
sidio. Confer Scaligerum l. 5. exerc. 302. ubi dicit, quod etiam in  
voce sit latitudo; Cum enim vocem quantitate dimetiamur, &  
syllaba in voce sit, ut in subjecta materiâ; & quantitas triplici di-  
mensione constituatur, necessariò syllaba iisdem affecta erit, ut e-  
levatio aut depressio in altitudine; Afflatio & attenuatio in lati-  
tudine; tractus deniq; in longitudine sit.

*Ex. 5. De soni longitudine numerabili constat, duratione videlicet  
temporali curtâ vel producta, quoniâ omnis sonus cum suo motu  
aliquantis per durat, breviter aut diu.* Sonus enim quia fit mo-  
tu, motus autem fit in tempore; igitur sonus quoq; mensurabitur  
tempore, & quod sonat, sonabit aut breviter aut diu: Idem sonus  
continuatus eodem motu, necesse est incipiat cum motu in mo-  
mento,



mento, producatuꝛq; cum eo per medium usq; ad ultimum terminum, & tam diu duret, quamdiu ipse motus localis, idq; eadem proportione & differentiâ, ita ut si æquabilis maneat motus, idem etiam tonus maneat, qui vocatur unisonus simplex: Quamprimum verò inæquabilis fuerit factus, inæqualis quoq; oriatur sonus diversi toni. *Longitudo soni* hîc potissimum consistit in unisono, quia æqualiter producitur & fluit tanquam linea à puncto in punctum. Confer iterum Scaligerum l. 2. de causis l. ling. c. 55. Ubi dicit: Quod sonus longus numeretur tactu Musico, qui de depressione & elevatione constet juxta proportionem certam, imprimis duplicam, sitq; vel *simplicior*, qui absolvatur duabus partibus æqualibus, diciq; possit spondaicus, ut Musis; Vel *minus simplex* constans partibus inæqualibus, unâ majore & alterâ minore, diciq; possit Trochaicus, ut Musa.

Ex 9. 6. *De soni latitudine numerabili* quoq; constat, Spiritu scilicet tenui & aspero, quippe cum omnis sonus præterquam quod longus est, sit etiam aut tenuis seu lenis, mollis, submissus, exilis, asper, durus, clarus, plenus.

Hujus dimensionis proportionem juxta naturam textus usurpantur & variantur, ideoq; etiam nulla signa peculiariter latitudini vocum ponuntur, utpote quæ in textu rectè pronuntiando lateant. Confer Scaligerum c. 54. l. c. 2. de causis l. lingv. Nam præterquam quod producas aut tollas vocem, dilatare Spiritum potes, atq; addere vel vocalibus vel consonantibus: in tenui enim pronuntiatione minus, in plenâ plus exit Spiritus.

Ex 9. 7. *De soni deniq; numerabili crassitudine* etiam constat: ejus videlicet *profunditate & altitudine*, in quantum omnis sonus præterquam quod longus est & latus, profundus seu gravis, in super aut altus seu acutus est. Et hanc soni magnitudinem metimur per proportionem numerorum præsertim radicaliter, quatenus applicatur illa Monochordo. Hinc Aristoteles l. 2. de Anima c. 8. t. 86. de gravitate & acumine sonorum sic docet: Differentiæ sonantium in sono secundum actum ostenduntur ita: Sicuti non videntur colores sine lumine, ita neq; acutum & grave sine sono. Hæc autem dicuntur secundum Metaphoram à Tangibilibus. Acutum enim



enim movet sensum in paucō tempore multum, grave autē in multo parum. Non igitur velox est acutum, grave autem tardum, sed fit illius quidem propter velocitatem motus hujusmodi; hujus autem propter tarditatem. Et videntur similitudinem habere cum eo, quod circa tactum, acuto & obtuso. Acutum enim quasi pungit, obtusum verō quasi pellit; propterea, quod movet, illud quidem in paucō, hoc autem in multo; Quare accidit illud quidem esse velox, hoc autem tardum. Cui sæpius citatum adjungimus Scaligerum l. 2. de caus. l. ling. c. 53. Grave & leve in Elementis primum est: inde translata ratio eorum ad dimensiones quantitatum; propterea quod locus sit superficies ambiens locatum: Motus autem fiat in loco: Grave & leve ratione & motus & locorum dicitur. Igitur in voce, quæ esset affectio aeris, inventæ sunt rationes quantitatis, secundum aeris dimensiones: idque Mathematicis lineis deprehensum est; nam altitudinis ratio est linea perpendicularis. Atq; hanc quidem gravem appellârunt, ab Instrumentis, scilicet vocis, propterea quod in guttur aut pectus eam demitteremus. Alteram autem priorem illam ab effectu potius nominaverunt acutam: ferit enim aures, quarum viribus objecta est: ac sanè plus ponas Spiritus latioris in gravi voce, angustioris autem in acutâ. Quare & pueri acutius canunt, quorum guttur angustius est, & latiora crassioraq; instrumenta gravius sonant. Græci *ῥόγος* vocavere translata ratione à fidibus, quarum intensione aut remissione acutior graviorq; redderetur vox. Sonus ergo crassitudine aut est profundus, gravis & major, aut altus, acutus & minor, aut medius, uti iterum laudatus autor Exer. 303. f. 1. dicit. Hactenus de affectione soni Musici secundum quantitatem continuam considerati. Nunc de eadem secundum quantitatem discretam agendum. Sic enim differentias & intervalla acutarum, & gravium vocum, per causam suam à quâ pendent melius intelligemus.

Ex 9. 8. Causa igitur secundum definitionem Musices suprâ traditam, est ratio seu proportio, quod sic declaro. Sicut in numeris alia est proportio æqualitatis alia inæqualitatis; ita in sonis & vocibus. Duo in gravitate & acumine æquales soni sunt ad se invicem



vicem, ut 1. ad 1. h. e. in proportione æqualitatis & sunt unus sonus : Duo vero inæquales soni sunt ut numerus major ad minorem, in proportione inæqualitatis & constituunt intervallum Musicum. Sicut ergo proportio æqualitatis instar est radicis ac principii ad omnes proportiones cæteras, quas inæqualitatis diximus, ita  $\gamma$  unisonum est quasi principium ac radix intervallorum Musicorum. Et quævis hæc intervalla sint quodammodo innumera sc. ratione quantitatis suæ in infinitum divisibilis, si non actu, saltem potentiâ: Contrahuntur tamen à proportionibus inæqualitatis ad certa genera, classes vel differentias, quorum alia simplicia sunt & ceu radicalia, alia composita, ut monstrat sequens Diatyposis.

En 9. 9. Simplicia sunt 1. *Diapason*, unisonus compositus, octava vulgò, quæ est proportionis duplæ inter 2. & 1. Ubi unisonus ut major & gravior continet alterum ut minorem & acutiorem bis in sese.

2. *Diapente* seu quinta perfecta, quæ est proportionis sesquialterius inter 3. & 2.

3. *Diateffaron* quarta perfecta proportionis sesquitertiæ inter 4. & 3.

4. *Ditonus* Tertia perfecta seu major & dura, proportionis sesquiquartæ inter 5. & 4.

5. *Semiditonus* tertia imperfecta minor & mollis, proportionis sesquiquintæ inter 6. & 5.

6. *Tonus major* seu secunda perfecta & major, proportionis sesquioctavæ inter 9. & 8.

7. *Tonus minor* seu secunda imperfecta & minor proportionis sesquinonæ inter 10. & 9.

8. *Semitonium majus* proportionis sesquidecimæ quintæ inter 16. & 15.

9. *Semitonium minus* seu Chroma proportionis sesquivicesimæ quartæ inter 25. & 24.

10. *Diaschisma majus*, quod est proportionis sesquitricessimæ inter 31. & 30.

11. *Diaschisma minus*, proportionis sesquitricessimæ primæ inter 32. & 31.

B

12. Com-



12. *Comma*, quod est differentia toni majoris & minoris, est proportionis sesquioctagesimæ inter 81. & 80.

13. *Schisma*, quod est dimidia pars commatis seu medietas differentiæ inter semitonium majus & minus: Et quidem *schisma majus* est proportionis sesquicentiesimæ & sexagesimæ inter 161. & 160.

14. *Schisma minus* est proportionis sesquicentiesimæ primæ inter 162 & 161. & si quæ sunt minutiora intervalla.

Ex 9. 10. Et hæc intervalla sunt post octavam duplam, omnia in proportionibus *superparticularibus*: quæ autem sequuntur sunt in *superpartientibus*, ut

1. *Diateffaron cum Ditono* seu quarta cum tertiâ majore, seu sexta major, quæ est proportionis superbipartientis tertias inter 5. & 3.

2. *Diateffaron & semiditonus*, id est quarta cum tertiâ minore, seu sexta minor, est proportionis supertripartientis quintas inter 8. & 5.

3. *Diesis minor* proportionis supertripartientis centesimas vigesimas quintas inter 128. & 125.

4. *Diapente cum Ditono*, seu quinta cum tertiâ majore, id est, septima major, quæ est proportionis super septupartientis octavas inter 15. & 8.

5. *Diapente & semiditonus* seu quinta cum tertiâ minore, id est, septima minor, quæ est proportionis super quadripartientis quintas inter 9. & 5.

Reliqua intervalla simpliciora ( non justa vel deficientia vel redundantia ut plurimum semitonio minore vel commate vel utroq; simul) etiam *concrefcunt* ex aliis, quando *augentur* ut Tritonus seu quarta superflua ex Diateffaron & semitonio minore seu Chromate, & quinta abundans: *decrefcunt* quando *minuuntur* aliis, ut semidiapente deficit semitonio minore, & semioctava, & quarta diminuta, quorum proportiones dare nullo negotio potest, cui modus Addendi & subtrahendi proportionum non est ignotus. Ubi nota quod *Mediatio seu divisio* earundem Arithmetica, Geometrica, Harmonica & contraharmonica plurimum faciant ad demonstranda hæcenus prolata.

Ex 9. 11.



Ex 9. II. Et hæc fuerunt simplicia intervalla, ultra quæ non progressi sunt primi Musici; Sequiores autem addiderunt intervallum ex simplicibus compositum, de quo idem iudicium. Sequuntur ergo *primò composita*.

(1.) *Disdiapason* seu duplex octava, seu decima quinta, quæ est proportionis quadruplæ inter 4. & 1.

(2.) *Diapason & Diapente* seu semi octava cum quinta, id est, duodecima, quæ est proportionis triplæ inter 3. & 1.

(3.) *Diapason & Diatessaron* octava cum quarta seu undecima proportionis duplæ super bipartientis tertias inter 8. & 3. & c.

Deinde *secundò composita*, ut (1.) *Trisdiapason* seu triplex octava, id est vigesima secunda proportionis octuplæ inter 8. & 1.

(2.) *Disdiapason & diapente* duplex octava cum quintâ seu decima nona proportionis sextuplæ inter 6. & 1. & c.

Tum *tertiò composita*, ut *Tetragynis Diapason* quadruplex octava seu vigesima nona proportionis sedecuplæ inter 16. & 1. & c.

Præterea *quartò composita*, atq; sic in infinitum supra & infra, quanquam infinitatem hanc sonorum crassorum, ut & latorum & longorum geminam ratione deminutionis & auctiois potentialem finire scientiæ Musicæ sit officium. Nam ultra disdiapason non multum vel ascendit vel descendit vox humana, quum ipsa natura hominû terminû facit, acutamq; eorum vocem gravemq; determinat. Tantum enim unusquisq; vel acumen valet extollere, vel deprimere gravitatem, quantum modus vocis naturaliter patitur, uti docet Boethius l. I. c. 9. & 13. Sensus, inquiens, neq; minima sentire propter ipsorum sensibilibium parvitatem potest, & majoribus sæpè confunditur, ut in vocibus, quæ si minimæ sint, difficilius caperet auditus, si sint maximæ, ipsius sonitus intentione surdescit.

Ex 9. 12. Ex dictis elucescunt *principia* Musicæ Theoreticæ interna, quantum ad *cognitionem* attinet, quæ, quod per totam Musicam hinc inde spargantur, hoc loco tradere, operæ precium nō est.

*Externa* autem quibus utitur eadem, sunt vel *Remota* & quidem *maximè*, quæ ex Metaphysicis ut Effata de ente, causa, essentia, existentia, unitate, Identitate, totalitate, æqualitate, similitudine &



multitudine, diversitate, partialitate, inæqualitate, dissimilitudine,  
 bonitate, compositione, pulchritudine, perfectione, ordine, oppo-  
 sitione, potentia & actu, accidente, quantitate, qualitate & simili-  
 bus: *minus verò remotè*, pronunciata, quæ ex Physicis de corpore  
 naturali, hujus quantitate, qualitate, motu, statu, loco & tempore:  
 item de aere, sonoq;, quid, unde, quorsum, quomodo, deque illius  
 propagatione, multiplicatione, differentiis & perceptione depro-  
 muntur: vel *proxima*, ut Axiomata, Lemmata, Postulata, Definitio-  
 nes cum divisionibus, Propositiones, Theoremata, Problema-  
 ta, & Porismata Mathematica, de quantitate, magnitudine & mul-  
 titudine, seu numero; eaq; partim Arithmetica, partim Geome-  
 trica, de magnitudine, lineâ, superficie & solido, horumq; sectione,  
 symmetriâ & asymmetriâ &c. imprimis tamen *Arithmetica* de nu-  
 mero, præsertim illa de proprietatibus simplicium numerorum,  
 itemq; de proportionibus omnibus commensurabilibus 1. 2. 3. 4. 5.  
 6. 8. 10. (sine quibus profus non possit consistere scientia Musica  
 nobilissima) sive *æqualitatis*, unitate scilicet, radice omnis proporti-  
 onis, sive *inæqualitatis*, dupla, tripla, sesquialtera, sesquitercia,  
 sesquiquarta, sesquiquinta, superpartiente tertias, quintas &c.  
 de quibus suprâ diximus: Item de numerorum tractatione  
 vel (1.) *numerando* per divisionem  $\frac{1}{2}$  vel (2.) *addendo* per multi-  
 plicationem vulgarem & simplicem ut  $\frac{3}{2}$  vel radicaliter 3, 1. vel  
 (3.) *subtrahendo* per multiplicationem crucialem, ut  $\frac{2}{3}$  vel (4.) *copu-*  
*lando* seu multiplicando eodẽ ferè additionis modo, tantũ insu-  
 per antecedente numero posterioris proportionis in prioris conse-  
 quentem multiplicato vel contra, ut 2. 1. 3. 2. sic semel tria dant 3. &  
 semel duo dant 2. & bistria dant 6.  $\frac{2}{3}$  sic si dentur duplæ &  
 sesquialteræ rationis termini in numeris majoribus, continuatio  
 harum rationum sic erit:  $\frac{12}{72}$  vel (5.) *mediando* seu dividendo  
 in aliquâ proportionalitate, idq; vel *Arithmeticè*, quando medius  
 terminus est duorum extremorum sibi invicem addi-  
 torum medietas ut  $\frac{3}{4}$  vel *Geometricè*, quando medius Ter-  
 minus est radix numeri quadrati, orti ab extremorum in se invi-  
 cem



tem multiplicatione cuius  $\frac{4}{1}$  modi est 2. vel *harmonicè*, quan-  
do medi<sup>9</sup> Terminus est duplicitas numeri oriundi ex terminorum  
extremorū in se ductu, ut  $\frac{2}{1} \cdot \frac{1}{3}$  vel  $\frac{2 \cdot 2}{1 \cdot 2}$  vel deniq; (6.) *radicatione*  
per mediationē 16.8.4.2.1. quemadmodum vicissim radicales pro-  
portiones facillimè in terminos majores reponuntur per du plati-  
onem 1.2. 4.8. 16.

Ex 9. 13. *Principia autem constitutionis & quidem interna sunt*  
*Materia & Forma. Materia quidem est sonus, quemadmodum su-*  
*pra de subjecto Musicae legimus. Forma verò, quod sit harmoni-*  
*cus, ut ita sonus Physicus per hanc limitationem determinetur ad*  
*Musica, unde etiam vocatur Monas Musica, & pars cantilenæ sim-*  
*plicissima, ex quâ primo componitur, & in quam ultimò resolvi-*  
*tur, ejusmodi in oratione est litera, in syllogismo Terminus, uni-*  
*tas in numero, in continuo punctum, in gradu basis; ut ita sonus*  
*indivisibilis sit, licet alio modo, nempe ratione quantitatis sit divi-*  
*sibilis, ut jam supra monuimus.*

Ex 9. 14. *Externa autem principia & quidem causa Efficiens pri-*  
*ma est universi juxta pondus, numerum, mensuram & harmoniam*  
*architectus sapientissimus Jehova Deus, autor omnis symphonie,*  
*adeoq; Musicae Theoreticæ: quia harmonia est ordo, & tendit ad*  
*unitatem: Deus autem est autor & factor omnis ordinis, summa-*  
*que unitas. Præterea Deus est summum & ineffabile gaudium, &*  
*qui rectè gaudent, Deo sunt propiores: Gaudium autem cum sit*  
*pura pura harmonia, non potest non excitari & foveri ab harmo-*  
*niâ Musica.*

Ex 9. 15. *Efficiens secunda particularis & propior est partim Na-*  
*tura, Mater sonorum, partim Ratio illam usurpans & Naturæ rudi-*  
*menta perficiens.*

Ex 9. 16. *Musicae harmonicæ Causa exemplaris est Musica munda-*  
*na, quæ cernitur in ordine & dispositione proportioneq; admira-*  
*bili, quæ occurrit in regione cœlesti & subcœlesti inter stellas, Ele-*  
*mēta, tum ex Elementis composita, interq; hæc omnia invicem col-*  
*lata, de quâ superius diximus, quam etiam harmoniam, cum prisci*  
*homines attentè considerarent, meditati sunt similem proportio-*  
*nem in numeris, lineis & voce, præsertim cum in variorum corpo-*  
*rum vario sono manifestè proportionem illam deprehenderent.*

B 3

Ex 9.



Ex 9. 17. *Finis* deniq; ut cæterarum disciplinarum Theoreticarum ita etiam Musicæ Theoreticæ *tantum in contemplatione* consistit. Quamquam enim Melopoeta istas conclusiones & Regulas de progressionibus tonorum & intervallorum ad suam cantilenam ritè componendam usurpet, nec evitare queat, quin illis instar suorum utatur principiorum: fit tamen hoc præter intentionem musicæ theoreticæ. At enim contrahamus vela, nosq; ex vasto Musicorum intervallorum pelago ad portum recipiamus, hoc unicum adjicientes, *finem Musica ultimum* eundem esse cum Efficiente Causa universali harmoniæ, nempe Archetypum & Fontem bonorum omnium Deum ter Optimum Maximum, cujus ad laudem, majestatemq; omnia cedant unicè. Quod enim est propter illum nisi ab illo, per illum & in illo? Is ut Platone teste semper geometriam exercet, ita nostrâ sententiâ semper Musicam adhibet: Is corpora motu sonare voluit, & homini facultatem sonos sentiendi & intelligendi, atq; scientificè & artificiose tractandi dedit.

### COROLLARIA.

1. **M**usica non est humana inventionis sed divina creationis opus.
2. Musica natales suos non debet impiorum antediluvianorum catervæ neq; Jubali.
3. Corpora cœlestia, licèt velox sit machina cœlestis, licèt etiam velocissimus eorum motus, nullos tamen ciet sonos harmonicos.
4. Musica Theoretica non tàm circa sonum seu Monadem, Musicam & unisonum, quàm circa dyaden & triaden versatur.
5. Angeli Sancti delectantur Musicâ, mali contrà abominantur eam.
6. Pythagoras casu invenit proportionem sonorum in quatuor malleis fabrorum.
7. In numeris majoribus minor, & in minoribus major continetur proportio.

8. Non



8. Non ubi æqua est differentia statim æqua est proportio.
9. Non propterea, quia proportio numeri à simplicitate discedit, superpartiens à Consonantiis excludenda est & inter dissonantias referenda.
10. Sensus non est verus & legitimus iudex rerum Musicarum sed ratio.
11. In intervallis sunt proportiones.
12. Tonus male Boëthio, omnium Musicorum sonorum minimus est, & Fabro Stapulensi consonantiarum primordium, aut Diesis Aristoteli, aut Diaschisma semitonij, aut comma, aut commatis schisma.
13. Unisonus neq; consonat neq; dissonat, sed æquisonat: annumeratur tamen vocibus perfectis.
14. Quarta in Theoreticis est Consonantia & perfecta, in Melopœia autem & praxi est falsa & rejecta species adeoq; dissonantia.
15. Tertia & sexta tam aurium quam rationis iudicio consonant, etsi imperfectius.

Ad præstantissimum & literatissimum Dominum  
Autorem & Præsidem, amicum suum  
dilectissimum.

**S**Æpè, imò millies iterumq; millies, contumeliosam, cui subjecta in hoc mundo est nostra MUSICA, sortem demirror: Quod, cum inter alias artes & disciplinas liberales præstantissima & excellentissima sit, à plurimis (si non ab omnibus) sæpe etiam magni nominis, vix loco aliquo inter liberales digna, modò non abjectissima habeatur. Cujus rei, licet varia, & ferè infinite non lateant cause: Minus tamen temerè vel iniquè arbitrari illos, qui (cum nulla ignoti sit cupido) ignorantia tribuunt, certum est. Sed ego Divi Lutheri, qui proximum illi à Theologia locum assignare non dubitat, iudicio strictius adherens & haud obscure, neq; per transennam contemplans, Eam Divinis, quæ mundo sordent, præ reliquis omnibus propius accedere & arctiori cognitione junctam esse, mirari desino. Non



Non quidem exiguam culpæ partem redundare arbitror ad detestabilem illum abusum, quo divina hæc Scientia, omnes ferè ludionum, histrionum, agyrtarum petauristarumq; præstigias præstolari, easq; ministerio suo venerari, turpissimi quidem lucricau, acogitur. Lurconum beluonumq; in popinis rusticis, choreas taceo.

Neg; parum causa etiam illis conferendum, qui hodiè Hanc scientiam & artem absq; omni proportionum theoriâ, absque regulis & præceptis, absq; præceptore & informatione, exercere conantur, sibiq; plurimum eruditionis & honoris, ex aliquo hujus vel illius instrumenti contactu, pollicentur. Præsertim cum videant, molendinarium crepitaculis suis, strepitu & fragore vehementi, ancipitis & incompti vulgi, modò hoc, modò illud approbantis iudicium, longè vehementius afficere, quàm automataris artificiosissimo aliquo ἀποσπαστικῷ. Cum audiant, campanam malleo ferrario percussam, longè fortiorem, quàm chelys promptissimâ chelonij manu pulsata, edere sonum.


Tu verò, Amice per dilectæ, perfectior rationis ductu, ignorantium faannas nibili faciens: Histrionum, agyrtarum, petauristarum aliorumq; abusum abominans: Temerariorum, intra somnia conceptam eruditionem & honorem ridens: Veram & genuinam harmoniæ musicæ scaturiginem amplectens, de Musicâ eruditè disputare, ejusq; eminentiam & honorem hæc ratione, à variis injuriis vindicare incipis. Gratulor conatum ex animo, & ut nunquam desint Mæcenates, qui ultrò & sponte tibi currenti, suo applausu, suffragiis, subsidiis & aliis benevolentia proventibus, calcaria super addant, seriò & devotè precor. Dabam Lips. 15. August. Anno 1652. è Musæo meo.

T. Promptiss.

Tobias Michael, Chori Musici  
ibidem Director.

F I N I S,











01 A 6640

ULB Halle 3  
003 108 309



Sb.

VD 17










planet  
nind  
ones.  
priet  
ne, qu  
3, al  
isfimu  
les, cu  
qua a  
olver  
2, fig  
um p  
aliqu  
ofund  
asped  
s cum  
lum lu  
n, sub  
plane  
nis aq  
gimus  
latione  
quin i  
alta h  
à M. co  
fulsi  
nt verb  
as nio  
affecti  
qualis  
a fueri  
nabent  
m9 to  
similit  
planet  
otus, p  
lis terr  
pori, ac  
ciales r  
r. exclu



108.

110

Cum Musices Creatore

DISPUTATIO  
**DE MUSICA**  
THEORETICA,

*Quam*

Autoritate Inclutæ Facultatis Philosophicæ  
Lipsiensis  
P. P.

**M. ELIAS NATHUSIUS,**

*RESPONDENTE*

**SAMUELE BACHUSIO, CIZENSI**  
Misnico Philos. & optim. artium  
Baccalaureo

*ad diem 21. Augusti.*

Horis locoque consuetis.



**LIPSIÆ,**

Typis JOHANNIS BAUERI,  
ANNO MDC LII.

